

quia non est simplex, sed ex pluribus corporibus, elementis scilicet, conflatum.

§. 17. Dicitur 3. coelum esse corpus *supremum* & *primum*: quæ duo coelum non solum à mixtis, sed ab omnibus etiam simplicibus corporibus, elementis nimirum & stellis, distinguunt. Quamvis enim stellæ & elementa singula præter id quod sunt corpora, etiam sint simplicia, & ex pluribus corporibus non constant, non tamen sunt prima & suprema. Solum coelum est corpus primum, quia omnia corpora perfectione & dignitate sua superat: Solum est supremum, quia extra coelum nullum aliud corpus datur, ut habet *Dn. Zeisold. lib. 2. inst. phys. p. 35.* sed est terminus eorum quæ supra sunt, ut habet *Philosophus lib. de mund. c. 6.* Et elucescit hinc stupenda naturæ solertia. Sicut enim inferior hic mundus ita est animatus, ut dignitatis magnam habeat rationem, & viris in sublimiori eminentiæ gradu constitutis primum & honorem & locum deferat: ita non minus rerum altrix natura coelum, ut simplicissimum, ita perfectissimum & dignissimum corpus, super universa alia corpora jure merito elevavit. *Excellentissimum nempe corpus, excellentissimus decebat honor!*

§. 18. Dicitur 4. coelum esse corpus *amplissimum*

*imum*